HOMILIA VIII.

Prosequimur multiplici sacrae Scripturae eruditione magnitudinem gloriae, quam bonis operibus Iusti promerentur : sed prius aperitur, quantum apud homines valeat huius praemii spes, in illa verba: Et transfiguratus est.

Dei vetus admodum consuetudo fuit, quando difficile quidpiam faciendum praecipiebat, praemium laboris proponere, et polliceri, ut illo attracti homines facilius, et promptius divina iussa capesserent. Hinc cernimus iubentem Abrahamo, ut a patria sua egrederetur, et domum, atque affines relinqueret; quoniam asperum id erat, et factu non facile, promisisse remunerationem, dicendo, *Ego ero merces tua magna nimis.* Qui etiam mittens Patriarcham Iacob ad scalam illam, cuius pars una terram, altera coelum tangebat, ut ipsum ad ascendendum in tam arduum, et sublimem locum alliceret, se in scalae culmine tamquam praemium ascensionis locavit. Utque filios Israel faceret animosiores ad subeundos in deserto labores, misit in terram promissionis exploratores, ut aliquid de fructibus regionis illius afferrent : qui racemum tulerunt tantae magnitudinis, ut duorum hominum humeris impositus pertica suspensus vix afferri potuerit. Id vero factitare Deus semper fuit solitus : quoniam homines scit tam esse suae utilitatis amantes, ut nisi illa ducantur, et laboris, atque industriae suae sperent mercedem, humeros oneri nequaquam submittant, et tarde atque ignaviter se ad opus accingant. Quod praeter alios constat ex Davide, aiente (*Ps.* 112): *Inclinavi cor meum ad faciendas iustificationes tuas propter retributionem ;* ubi debet ponderari verbum, *Inclinavi*, quod proprium est bilancis, seu trutinae, quae semper eo inclinat, ubi pondus est gravius. Unde cum gloriae praemium, quod nos manet, tantae sit gravitatis, ut dixerit Paulus (1. *Cor.* 4): *Momentanum, et leve tribulationis nostrae aeternum gloriae pondus operatur in nobis:* ideo nostri cordis statera pondere tanti praemii gravata, ad custodiam divinae legis inclinat ; ob idque merito dixit Propheta: *Inclinavi cor meum , etc.* Qua etiam de causa scimus eundem cum immanì, et saevo illo gigante congressum, voluisse scire praemium, quod sibi si Philisthaeum deiecisset, erat praebendum (1. *Reg.* 17): *Quid dabitur viro qui percusserit Philisthaeum?* Cui responsum fuit : *Virum qui percusserit eum , ditabit Rex divitiis, et filiam suam dabit ei.* Quis est, quem lateat illud Iob: *Militia est vita hominis?* quoniam gigas Goliath, qui est diabolus, semper hominem bello lacessit, et ad arma provocat: quare necesse prorsus est, ne illi tandem cedamus, et submittamur, vigilanter eius conatibus obsistere, et pro viribus obluctari fortiter, et constanter: nam si quis, ut David, roget : *Quid dabitur viro , qui percusserit Philisthaeum?* Respondetur ei : *Virum qui percusserit eum, ditabit rex divitiis magnis, et filiam suam dabit ei*, id est, qui tam praeclaram victoriam fuerit adeptus , omnium bonorum coelestium obtinebit haereditatem, et filiam regis accipiet uxorem, ipsam nempe beatae vitae affluentem bonis omnibus felicitatem. Talem certe, et tantam pro sui certaminis, ac victoriae praemio accipiet sponsam, regio cultu, et dignitate compositam. Eo namque habitu dicit Ioannes visam *A Deo paratam, sicut sponsam ornatam viro suo.* Varias sacra Scriptura solet usurpare metaphoras ad indicandum nobis aliquid eorum, quae maxima et mirabilia Deus abscondit diligentibus se, ut illorum dolores , et afflictiones iustis praemiis compenset, et debitis coronis victoriam assecutos cohonestet; sed inter omnes has metaphoras, vel similitudines quatuor sunt insigniores ; quarum prima est qua utitur Sponsa in Canticis , ubi secundum Bernardi expositionem Sponsa declaratura inconstantiam , et brevitatem temporalium delectationum , et aeternarum firmitatem , et perpetuitatem, dixit Sponsum alloquens: *Meliora sunt ubera tua vino*: illic enim per *vinum* caduca, et brevis in hoc saeculo intelligitur voluptas, et per *ubera* constans, perennis, et aeterna in altera vita delectatio. Ratio vero huius differentiae est, quoniam si racemum uvarum comprimas, aut in torculari conculces, semel, aut iterum succum elicies , nec superest postea in racemo plus liquoris , sed rugosa uvarum pellicula, et sordidum vinacium; secus autem accidit maternis uberibus, quae sunt instar fontis perennis, et continuo manantis, quae puer hodie sugit , et satiatur , et cras itidem , ac saepius in eodemmet die , idque toto hebdomadis, et anni curriculo factitans, uberum maternorum lacteo liquore , et ubertate non destituitur. Haec igitur differentia est, quae inter bona temporalia, et aeterna versatur: nam illa sunt ad tempus , nec omnino delectant , et quod ex illis reliquum est, vile habetur, et abiectum: bona vero, quae in coelis speramus, perpetua, et omni bono redundantia: quoniam Dei ubera, a quibus beati pendent, numquam non divino lacte scaturiunt, ut Ioanni Evangelistae significatum fuit , cum Filium hominis vidit *praecinctum ad mamillas zona aurea.* Super quae verba percontatur Augustinus , quomodo Filium hominis viderit Ioannes ubera habentem, cum id muliebre sit , quomodo zona praecinctum ad mamillas, cum haec non mamillas, sed renes cingere soleat. Respondet id factum, ad significandum Christum in coelo , non solum usurum Patris, sed etiam matris officio, filiis suis duo illa ubera detegendo, naturae divinae, atque humanae, a quibus tamquam a fontibus inexhaustis, et perennibus gloria in beatos exundat: auri autem zona , qua Filius hominis praecingebatur , multitudinem significat beatorum, qui , sicut zona mamillis adstringitur, sic a Dei uberibus magis , quam infantuli a matrum mamillis, dependent. Animadvertens igitur Deus depravatum hominum gustum , corruptumque iudicium in electione temporalium delectationum , cum detrimento aeternorum, ea de re apud Oseam ita conqueritur : *Ipsi diligunt vinacia uvarum :* gaudent

futilibus , et inanibus bonis , quorum fructus brevis , et minimus est ; semperque mansura bona insipienter aspernantur. Ne autem ab uberum similitudine, sive metaphora recedamus , verba Davidis revocemus in memoriam (*Ps.*8): *Ex ore infantium, et lactentium perfecisti laudem:* ubi per infantes intelligit Incognitus iustos in hoc saeculo degentes: nam sicut pueritia septem clauditur annis ; ita quoque totius vitae cursus septem diebus, quibus hebdodoma peragitur, terminatur; per lactentes autem, qui iam sempiterno aevo fruuntur, beatos interpretatur. Quod si cuipiam id minus apte dictum videbitur, suadeat sibi plurimum convenienter id ita dictum , ad discrimen iustorum, qui in hoc saeculo, et in altero sunt, ostendendum: nam qui adhuc apud nos sunt, lac illud divinae felicitatis tamquam in vase per fidem , et charitatem bibunt ; qui autem iam corporis vinculo soluti in coelum transvolarunt , mentium suarum ora divinis admota habent uberibus, et in ipsomet fonte maiorem divini lactis experiuntur suavitatem : nam sicut Avicenna: *Lac melius est, quod ex ipsis uberibus sugitur:* quoniam dum intra ubera est , calore naturali fovetur , quem iam emunctum amittit; ita coelestis patriae dulcedo, dum ex suo fonte percipitur, excedit absque aliqua proportione omnia delectamenta, quae Deus in hoc vitae stadio commorantibus amicis suis communicat , ut Propheta insinuavit , exclamans (*Psal.* 30) : *Quam magna multitudo dulcedinis tuae Domine, quam abscondisti timentibus te?*

Propheta etiam Isaias ad huiuscemodi sempiterna bona , quibus Sancti in altero saeculo augebuntur significanda , et illorum excellentiam aliquo modo declarandam , convivii metaphoram usurpat, dicens (*Isai.* 25): *Et faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc convivium vindemiae pinguium medullatorum, vindemiae defaecatae, et praecipitabit in monte isto faciem vinculi colligati super omnes populos , et telam quam orditus est super omnes nationes, et praecipitabit mortem in sempiternum.* Primum , ait Isaias , hoc convivium fieri a Domino exercituum , ad innuendum, has divinas dapes non parari, nisi militibus, qui viriliter , et legitime certaverint: nam sicut dux tempore belli, ne forte annona deficiat; solet panem durum ad pondus, salitas carnes in uncias, et aquam turbidam per drachmas suis distribuere militibus ; ubi autem victoriam adeptus est , et hostem depraedatus, spolia partitur, solemne convivium instituit victoribus, et quos in praelio novit fuisse fortiores, digniorem, et honorationem mensae locum occupare iubet: ita Dominus exercituum, et Deus praeliorum , quamvis dum superstes vita est , quae ut dixit Iob , militia est super terram, milites suos duro pane, et aqua turbida, id est, diversarum afflictionum, et laborum perpessione sustentat; confecto bello , et victoriam iam adeptis epulum apponit opiparum admodum, et deliciosum, quod in monte celebrandum dicit Isaias, ut ostendat hoc eius convivium stabile, firmum, et perpetuum futurum: nam ut sacrae Scripturae mos est, nomine montis significatur fortitudo , quae non inflecti, vel deficere potest (*Psal.*224): *Qui confidit in Domino, sicut mons Sion , non commovebitur.* Ad explicandum autem huius epuli praestantiam, vocat illud *convivium pinguium convivium medullatorum,* quoniam huius mensae dapes solidae sunt , et adipe , ac sapore commendabiles, cum secus accidat mundi conviviis , ubi non pinguia , vel medullata , sed ossea, et inania ministrantur alimenta, quibus dum pascitur conviva miser , postquam tamquam famelicus canis ossa rodens dentes attrivit , et ora sanguine polluit , tandem nihil reperit medullae, nihil pinguedinis, hoc est, nihil expetitae delectationis : quoniam os illud non medullatum , sed inane , et vacuum erat, ideoque veram, et sinceram minime potest praebere nutritionem , et delectationem. Ait secundo convivium , quod a Domino paratur , esse *vindemiae defaecatae*, quod etiam conviviis , quibus mundus suos pascit amatores , adversatur : nam quod convivis suis vinum apponit , quantumvis ille vobis suadeat esse purum , et generosum , plenum quidem est faecibus , plenum sordibus , et mille dolis , ac fraudibus confectum , quo non delectatio , sed afflictio, non quies, sed perturbatio , non bonorum , sed malorum affluentia paratur : nam si mitram tuo capiti mundus imponit , onus pariter gravissimum , et curam animarum iniungit: si reipublicae magistratum te creat, sollicitudinem tibi, et laborem imperat: si affluentiam offert divitiarum, eam sollicitudinem pariter, et metum iniicit, ut perpetuo illas conservandi studio , et pari timore amittendi torquearis. Vinum autem , quod in hoc suo epulo Deus bibendum praebet, vinum est defaecatum, et generosissimum, purum ab omni sorde, ac sincerum , non dilutum aqua sollicitudinis, doloris, et miseriarum, quibus delectatio minuitur, et labefactatur. Inquit praeterea Propheta (*ibid.*): *Et praecipitabit in monte isto faciem vinculi colligati, et telam quam orditus est;* quasi dicat, in primo convivio, quod diabolus primis humani generis parentibus fecit, cum egregius esset technarum magister , et dolorum artifex , telam orditus ita longam textuit, ut innumeras inde fasciolas deciderit , quibus hominum oculos obvolveret, et vera videndi aciem obscuraret; omnis tamen haec ab illo illata caligo dissipata fuit, et amota, hoc tam felici praesente convivio , per quod oculi convivarum tanto gloriae lumine illustrantur, ut Deum ipsum, non in speculo, vel aenigmate, sed vere , et sicuti est, felicissime aspiciant. Inquit tandem (*ibid.*): *Et praecipitabit mortem in sempiternum,* id est, mors, quae intravit in mundum , per illud paradisi convivium a Deo mittetur in profundissimum inferorum barathrum, neque inde amplius resurgere, seu ad vitales auras redire poterit. Videtur hoc loco Propheta allusisse ad vulgare, et commune mortis simulacrum, quae ossibus cohaerentibus, nulla carne contectis, depingi consuevit; quam ita formatam si quis velit destruere, parum proficiet illam percutiens , cum non habeat carnem , cui vulnus possit infligi; sed opus est mittat eam in praecipitium, ut ossa comminuantur.

Hoc igitur ait Propheta, facturum Deum adveniente coelestis convivii tempore: tunc enim *praecipitabit mortem in sempiternum:* quibus verbis exprimitur coelestis epuli diuturnitas, et perpetuitas, cum illic amplius mors dominari non valeat. Aegyptii significare volentes convivia sua non fore perpetua, ponere inter epulas solebant hominis cranium, quo mors significabatur: illa enim est omnium deliciarum, et rerum terminus, nam ut dixit Horatius: *Mors ultima linea rerum est;* sed cum huius convivii beatitudinis aeternae delectamenta sempiterna sint, mors eis nocere, aut finem afferre non potest; ideoque vere dictum, *praecipitabit mortem in sempiternum.* Superest nunc discutienda quaestio, quam proponit Hugo Cardinalis (*super c.* 2. *Apoc.*), interrogans, cur sacra pagina tam frequenter cum victu, et cibo comparet beatitudinem, sicut quando dixit (*Apoc.* 2): *Vincenti dabo edere de ligno vitae:* et alibi (*Luc.* 22): *Ego dispono vobis, ut comedatis, et bibatis super mensam meam:* idemque innumeris aliis in locis facere passim consuevit. Respondet idem Cardinalis, id ita fieri, quoniam qui victoriam assequi procurat, strenue praeliatur, et fatigatur praeliando, adeptusque victoriam famescit; unde congruum erat, ut optata felicitas, et beatitudo, quae illum manebat, nomine cibi, et satietatis exprimeretur. Ego tamen existimo causam esse magnitudinem, et vehementiam gustus, ac delectationis, quam famelicus experitur, dum reficitur cibis, praesertim delicatis, et gustui iucundis, quorum degustatio esurienti cum sit gratissima, merito summa felicitas eiusmodi refectioni assimilatur. Dicere quoque possumus, idque forsan convenientius rationi est, quod cum tanta cibi sit, et comedentis unio, ut ex utroque res una fiat; propterea ad explicandam arctissimam Dei cum beato coniunctionem, tam propter gratiam habitualem, quam in statu illo, unde amplius deiici non potest, securus possidet, quam propter peculiarem unionem ipsiusmet Dei cum intellectu beati, prout est in ratione speciei intelligibilis, ut loquuntur scholastici Theologi; nec non propter ipsammet visionem beatificam, comparatur suprema felicitas alimento, quod inter cetera omnia comedenti unitur, et in ipsum transformatur.

Apostolorum princeps Petrus (*in epistola canonica*) metaphoram aliam adducit, qua ingentia bona, quibus beatitudo cumulatur, maxime significantur, his verbis: *Cum apparuerit princeps Pastorum, percipietis immarcescibilem gloriae coronam.* Sanctus Augustinus (*in libro de agone Christ.*) dicit beatitudinem a Petro vocatam coronam, ut indicaret, illam non dari nisi victoribus; sicut etiam docuit Gentium Apostolus, cum dixit (2. *Tim.* 2): *Non coronabitur, nisi qui legitime certaverit;* asserere tamen possumus, propterea coronam appellatam, ad significandum, quod sicut figura rotunda prae omnibus aliis capacior est, ita beatitudo sinu suo capacissimo omnia genera bonorum includit, et omnia mala a sui consortio repellit: illic est enim sine fastidio saturitas: *Qui edunt, adhuc esuriunt;* illic scientia sine aliquo errore, vel aenigmate (1. *Cor.* 13): *Videmus nunc per speculum, tunc autem facie ad faciem;* illic plena animae delectatio (*Psal.* 36): *Et torrente voluptatis potavit eos;* illic pax extra periculum turbationis (*Psal.* 147): *Qui posuit fines tuos pacem;* illic securitas ab omni malo (*Psal.* 90): *Non timebis a timore nocturno, a sagitta volante in die, etc.* illic suavissimus vocum, et cithararum concentus (*Apoc.* 14): *Sicut citharoedorum citharizantium in citharis suis;* illic honor, et utilitas simul, contra mundi opinionem, dicentis, utilitatem, et honorem non eodem capi saeculo (*Psal.* 111): *Gloria, et divitiae in domo eius;* illic corona victoribus (*ibid.* 20): *Posuisti Domine in capite eius coronam de lapide pretioso;* illic nulla fames, vel sitis (*Apoc.* 7): *Non esurient, neque sitient amplius;* illic nullae lacrymae, nulli gemitus, aut singultus (*Apoc.* 11): *Non erit luctus, neque clamor;* illic non aspera temporis hiberni tempestas, sed floridum, perpetuum, amoenissimumque ver (*Cant.* 2): *Iam hyems transiit, imber abiit, et recessit, flores apparuerunt in terra nostra;* illic mortis nulla potentia, immo nec praesentia (1. *Cor.* 13): *Absorpta est mors in victoria;* illic demum est omnium, quae iustus desiderat perfectissimum, et abundantissimum complementum. Hinc igitur Christus ad significandam bonorum universitatem, quam beata vita complectitur, confert illam cum diversis, ac variis bonis, quae in terris reperiuntur, qualia sunt regnum, nuptiae, thesaurus, margarita, et aliae res pretiosae, quae in hominum usu, et oculis versantur, ut ab omnibus, et singulis earum aliquid nobis ex maximis bonis, quibus suprema aeternae vitae felicitas affluit, insinuetur. Itaque vult Deus, ut semen agri, cultura vineae, convivium, coena, nuptiae, retia, quibus piscaris, et margarita insculpta annulo, quem digito gestas, tibi sint tamquam simulacra, et imagines bonorum aeternorum, et quasi mappa, et descriptio coeli, ut earum rerum aspectu coelestia in mentem reducas, et contempleris. Ad quod etiam significandum videtur respexisse Ioel, inquiens (*Ioel.* 3): *Stillabunt montes dulcedinem, et colles fluent lac, et mel:* his enim verbis indicatur, ipsam rerum naturam, et quidquid in ea continetur, nobis esse debere documento, ut coniiciamus, quam expectamus in coelis perennium bonorum dulcedinem, et iucunditatem. Modus hic, quo Deus nos instituit, videtur similis ei, quo rex quidam narratur instituisse filium suum adeo ineptum ad litteras, ut alphabetum percipere nequiret, quod ut addisceret, non in papyro, vel pergamena charta, sed in famulis ei magis familiaribus praescripsit, unum vocans A, alterum B, tertium C, et ita deinceps: unde coactus princeps crebro vocare famulos, quoniam illorum obsequio semper egebat: alphabetum, quod antea memoria retinere non potuerat, breviter, et facile didicit. Ita Deus nostram videns ruditatem in cognoscendis, et percipiendis bonis coelestibus: nam, ut ait Paulus (1. *Corint.* 3): *Animalis homo non percipit ea, quae Dei sunt,* vult ipsas creaturas, quas continuo cernimus, nobis esse instar alphabeti, quo bonorum aeternorum excellentiam addiscere valeamus.

Ioannes in sua Canonica ad hanc ipsam beatae vitae praestantiam declarandam dixit, tantam eius esse vim, ut per eam beati Deo similes redderentur: *Similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est.* Quoniam quemadmodum Deus est beatus, quia seipsum cognoscit, amatque, et se ipso fruitur; ita nos quoque beati erimus illum videntes, et amantes, ac pariter divino eius aspectu perfruentes. Hinc poterit intelligi petitio Davidis, dicentis iuxta vulgatam interpretationem (*Psal.* 2. 6): *Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini:* quod sanctus Hieronymus vertit, *ut videam pulchritudinem Domini,* et Chaldaicus Interpres, *ut probem dulcedinem Domini.* In hoc igitur erimus Deo similes, quia eius pulchritudinem videbimus, et divinae gloriae gustabimus dulcedinem. Nisi dicere velimus, nostram cum Deo similitudinem fore, quod sicut Christus caput nostrum coronam habebit, et gloriae insignibus ornabitur; sic etiam beati tamquam ei coniuncta membra coronabuntur, et gloriae dotibus insignientur. Pro cuius rei pleniori cognitione praemitto, apud Romanos duo genera ornamentorum inter alia extitisse, quibus victores honestabantur: primum erat ex palma, lauro, oliva, seu ilice facta corona, quae capiti imponebatur; secundum ornamentum erat brachiorum, idque vocabant armillas, quae brachio prope humerum alligabantur. Unde Titus Livius (*lib.* 10. *Dec.*) refert, eo praemii, et honoris genere proprium filium, et Centuriones quatuor fuisse a Papirio decoratos. Et Plutarchus Sabinos in Capitolium clam ingressos, Tarpeiae, quae aditum docuerat, promisisse scribit armillas aureas, quas brachiis illigatas gestabant. Hanc etiam consuetudinem viguisse reperio apud populum Hebraeorum: nam miles, ut testaretur a se interfectum Saul, dixit coronam de capite eius, et armillas de brachiis eripuisse, quas regi offerendas secum attulerat. Nec mirum erit, si dicamus ad hunc etiam usum allusisse Isaiam, dicendo (*c.* 9): *Parvulus datus est nobis, cuius principatus super humerum eius:* quasi dicat: Puer nobis hodie nascitur, cuius insigne est armilla crucis super humerum eius; nam sicut nunc insigne nobilitatis, seu equitatus in ordine militari crux est ad pectus pendens; ita tunc ad humerum alligata brachio armilla tamquam ornamentum, et argumentum virtutis gerebatur. Quod mirabiliter Christo convenit: siquidem nihil proprius dici potest, ut vulgus loquitur, Christi commenda, quam ipsius crux ipsi coelitus prae ceteris commendata. Quamobrem si Christum contemplemur in passione victorem, agnoscemus eum capite coronam, et brachiis gestantem armillas humero suo adhaerentes, quibus victoria eius tamquam propriis insignibus innotescit. Ex quibus omnibus colligimus, nostro proposito inservientes, quod sicut tunc erat proportionabiliter simile praemium capitis, et brachii, nam si caput vincebat, brachium praeliabatur; ita erit similis beatitudo capitis, quod est Christus, et viventium membrorum, qui sunt beati, quod Paulus dixit his verbis (*Philip.* 3): *Reformabit corpus humilitatis nostrae configuratum corpori claritatis suae:* rationi enim valde consonum est, ut quoniam iusti, et beati fuerunt brachia, quibus Christus in terris tot et tanta monstra vitiorum superavit, ipso adveniente, et in capite suo coronam gestante, ipsi quoque iusti tamquam eius instrumenta, et brachia, gloriosis armillis, iuxta Romanorum, et Hebraeorum consuetudinem, ornentur.

Idem tandem Evangelista Ioannes proponit beatitudinis figuram, videlicet civitatem, de qua cum mirabilia narret, quatuor potissimum digniora nobis notanda, et explicanda sunt. Primum, situs eius in sublimi monte: *Sustulit me,* inquit, *in montem altum.* Secundum est, murus eius iaspide fabricatus: *Structura muri eius ex lapide iaspidis.* Tertium, illius magnitudo, quae duodecim millibus stadiorum protendebatur. Quartum, portae, quae ex singulis margaritis erant formatae: *Singulae portae erant ex singulis margaritis.* Primum quod ait, civitatem illam alto monte innixam, indicat ipsius firmitatem, quoniam nulla umquam civitas tam profunda iecit fundamenta, sicut civitas Dei, quam nulla potest deiicere tempestas, nullus casus affligere, ut ait David (*Ps.* 10): *Et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.* Nihil in ea est infirmum, nihil imbecillum, sed omnia sunt firma, et aeterna; id vero si ei deesset, nequaquam esse posset illic beatitudo: siquidem solus timor amittendi aliquando eam felicitatem fruitionis minueret delectationem, et aulicos eius, ac cives non parvo moerore afficeret. Nec solum coelestis haec Hierusalem fundata est in quovis monte, sed in monte fertili, et amoeno, omnibusque bonorum generibus affluente, ut David significavit, dicens (*Psal.* 67): *Mons coagulatus, mons pinguis:* quod alii interpretantur: *Mons caseus,* sive mons ex lacte coagulato; quem ita Propheta vocavit, ut declararet, quantum eius foecunditas praestaret fertilitati terrae Promissionis: nam si tanta illic erat abundantia, ut lacte, et melle perflueret, huius montis ea foecunditas est, ut lac etiam habeat, non tamen fluens, et decurrens, sicut fons decurrit, et rivulus, quos interdum siccari contingit; sed concretum, et constipatum permanens, quoniam lac eius non transit, aut elabitur. Ne autem rudes, et insipientes intelligerent Spiritum sanctum loqui proprie de lacte, et caseo materiali, addidit, seipsum explicans (*ibid.*): *Ut quid suspicamini montes coagulatos?* quasi dicat: iam vos, quod dixi, intelligebatis de montibus lacte coagulato aggestis, sicut vestrarum pecudum lac coagulari solet, id sane ignorantia crassior, et densior est, quam coagulatum lac, quo vescis soletis; intelligere igitur debetis, quod dixi, non de monte terrestri, vel de lacte armentorum, sed de sublimi, et perpetua dulcedine, quae in coelesti monte sita est, non aliam ob causam, nisi quod illum Deus inhabitabit (*ibid.*): *In quo beneplacitum est Deo habitare;* idque sine timore recessus illius, quoniam ibi sedem sibi fixit perpetuam: *Etenim Dominus habitabit in finem:* quod alii vertunt, *in perpetuum.* Secunda illius civitatis ex-

cellentia est, quod murus eius est ex lapide iaspidis: ubi mihi aperitur copiosa vena mysteriorum, quae in huius lapidis proprietatibus delitescunt: in primis enim, qui de rebus naturalibus scripserunt, et praesertim s. Isidorus, et Bartholomaeus Anglicus iaspidis eam esse virtutem aiunt, ut visum corroboret, quod proprium est luminis gloriae opus: per illud enim creatae mentis imbecillitas constabilitur, et vires accipit, ut aciem suam non conniventem, nec offensam nimio gloriae splendore, figat in Solem iustitiae fulgentissimum. Quemadmodum etiam iaspidi virtus inest sanguinis fluxus firmandi; sic felicissimus ille vitae status beatos reddens ab omni peccato prorsus immunes, et impeccabiles, cursum retinet peccatorum, de quibus meminit Oseas (*c.* 5): *Maledictum, et mendacium, et homicidium, et furtum inundaverunt, et sanguis sanguinem tetigit.* Praeterea sicut iaspis libidinis refrenat impetum, carnisque lasciviam coercet; ita etiam civitas illa sancta adeo pura, et ab omni immunditia est aliena, ut de ipsa sit scriptum (*Apoc.* 21): *Non intrabit in eam aliquid coinquinatum:* quin etiam velut iaspis animum secum illum deferentis liberat metu, et terroribus propter insitam sibi naturam profligandi phantasmata, quibus absterreri, et capillis horrere solemus; ita quicumque prope coelestis Hierusalem muros iaspide fabricatos extiterint, timere non possunt, ut sibi phantasmata, et imagines spirituum horribilium accedant, neve damnum aliquod inferant. Ad haec, quemadmodum iaspis propter magnam colorum varietatem intuentium animos exhilarat; ita illius sanctae civitatis, propter varietatem bonorum, quibus undequaque cumulata est, adeo iucundus, et delectabilis est aspectus, ut nulla cum hac possit comparari iucunditas. Ac tandem sicut iaspis benevolentiam hominum captat, et discordes conciliat animos, ut meminit Virgilius, dicens Æneam, et eius socios gestasse iaspidem, ut animum sibi reginae Didus conciliarent:

> Conspicit, atque illi stellatus iaspide fulvo
> Ensis erat;

sic qui iuxta muros huius sanctae civitatis habitant, tam propitiam sibi habent Dei voluntatem, et adeo ei grati, et accepti sunt, ut omnes divitias, et thesauros suae domus illis utendos, et fruendos exhibeat, et faciem suam ostendat, quod omnium est summa felicitas, et maximum bonum, immo bonorum omnium compendium perfectissimum.

Tertia sanctae illius civitatis excellentia est viarum, et platearum amplitudo: nam sicut longitudo eius, sic et amplitudo, et altitudo duodecim millia stadiorum complectitur; singula vero stadia, ut placet Plinio (*lib.* 2), centum viginti quinque passibus constant: unde si ad passus stadia duodecim millia redigere velimus, summa conficietur ducentorum quinquaginta millium passuum supra millionem. Hanc civitatem in quadro positam ait Ioannes (*Apoc.* 21): *Civitas in quadro posita est;* et dimensiones eius aequales: *Longitudo, et altitudo, et latitudo eius aequalia sunt.* Sed Nicolaus de Lyra hunc explicans locum acute probat, s. Evangelistam Ioannem non dicere, totam illam civitatem contineri stadiorum duodecim millibus in amplitudinem, sed singulas eius partes, sive parietes, qui quatuor erant, nam ut dixit Ioannes, in quadro erat posita, duodecim millium stadiorum ambitu circumscribi: unde tota civitas quadraginta octo millibus stadiorum constabat; quae mensura, et spatium iuxta ipsius Nicolai computationem summam conficit novem millium leucarum: additque idem Nicolaus coelum empyreum, quod civitas est beatorum, incomparabiliter esse maius; sed frequens esse in sacris litteris numerum finitum poni pro infinito, quod in hoc loco ab Evangelista observatum est. Civitatis igitur ita speciosae non dubium est quin viae, et omne forum sit spatiosum, et capax plurimorum, cum secus contingat in mundo, ubi nullum officium ita est amplum, ut duos pariter capere possit: nam officio si quis praeest auditoris, vel praetoris magistratu fungens, necessarium est amoveatur officio, ut alter succedere queat; secus vero in coelesti civitate, quae non solum admittit indigenas, qui sunt angeli, nec solum duodecim tribus, quae ad familiam eius pertinent, sed etiam recipit alienigenas, externos, et advenas pariter commorantes (*Ps.* 86): *Ecce alienigenae, et Tyrus, et populus Aethyopum, hi fuerunt illic:* itaque ipsi etiam Aethyopes in hac sancta civitate sedem, domiciliumque reperiunt, et civibus eius adscripti, coeli etiam principes efficiuntur, ut constat ex Prophetae verbis (*ibid.*): *Dominus narrabit in scripturis populorum, et principum horum, qui fuerunt in ea.*

Quarta civitatis coelestis Hierusalem excellentia sunt portae ex singulis margaritis: ex quo significatur, in ipso insignis illius civitatis ingressu beatis pretiosam, et inaestimabilem aeternae beatitudinis margaritam praeberi, et illorum mentibus, tamquam in conchylio aptissimo, et digno immitti; quam, ut dixit Christus, sibi qui vult comparare, debet vendere omnia, quae possidet (*Matt.* 13): *Abiit, et vendidit omnia, quae habuit, et emit illam.* Quod si Plinius (*lib.* 9. *cap.* 13) narrat tamquam rem stupore dignam, dedisse Cleopatram Marco Antonio margaritam, quam latini vocant unionem, potandam valoris ducentorum quinquaginta millium aureorum; quid unio, seu margarita haec prae illa, qua beati reficientur, et locupletabuntur? Cleopatrae namque margarita ab uno sumpta deperit, quae autem beatis datur, aeterna est; illa uni tantum fuit satis, haec pro numero convivarum multiplicatur, et qui maioribus augetur meritis, unionem accipit pretiosiorem. Quamobrem iure optimo dixit Apostolus (*Rom.* 8): *Non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis.* Super quae verba sunt animadversione digna, quae dicunt Origenes, Theophylactus, et Theodoretus. Mirum sane est Apostole sancte, quod ais. Numquid si quis ieiunaret, sicut Elias; si catenis ferreis corpus suum verberando affligeret, ut s. Dominicus; si perpetuo sacco, et cilicio indue-

retur, ut s. Franciscus, gloriae praemio, quod pro laboribus sperat, non aequari censebitur? *Non sunt condignae passiones, etc.* Numquid si fractis carceribus daemones erumpentes ipsum persequantur, et pars igni segetes vastet, abigat armenta, interficiat pecora: pars ventos commoveat, quibus filiorum, et filiarum domicilia concussa ipsos incautos misere opprimant, solusque maneat, et inops, in stercore nudus, vermibus corrosus, lepra infectus, ab uxore, et amicis derelictus, et irrisus, quod passus est sanctus Iob; satis non foret, ut praemium ex condigno mereretur aeternum? *Non sunt condignae passiones, etc.* Numquid si quis inferorum flammis obruatur, et omnibus tormentorum generibus vexetur, quibus damnati torquentur? *Non sunt condignae passiones, etc.* Quare licet persecutionem quis patiatur a fratribus, ut Abel; afflictionem a diluvio, ut Noe; dolorem a nece filii sibi praecepta, ut Abraham; labores, ut Iacob; pericula, ut Moyses; filiorum, et amicorum infelicitatem, ut David; insidias, et vexationes, ut Elias; colaphos, et cisternas, ut Hieremias; nec deesset, qui tempora eius transverberaret ferro, quod passus est Amon; medium secaret, ut Isaiam; in lacum leonum iniiceret, ut Danielem; vel in ardentem fornacem, ut tres pueros Babylonis immitteret; lapidaret, ut Stephanum; craticulis impositum torreret, ut Laurentium, dubitari ne potest hos omnes dolores, et cruciatus esse condignos, *ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis*, ut dicit Apostolus? Omnia haec, vel quaecumque alia, quae fieri, vel excogitari gravissima possunt, momentanea sunt, et parvi ponderis, si conferantur cum felicitate fruitionis divinae visionis, quae non est ad tempus, sed in omnem cum ipso Deo protenditur aeternitatem; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA IX.

Variis animi conceptibus moralibus verba illa elucidantur: Et transfiguratus est ante eos, et resplenduit facies eius sicut sol, vestimenta autem eius facta sunt alba, sicut nix.

Et transfiguratus est. Ante omnia supponendum nobis est, prout communis Theologorum sententia fert, cum angelico Doctore s. Thoma de huiusmodi mysterio tractantium, quod Christi transfiguratio eius vultui non intulit figurae, aut coloris aliquam mutationem, sed absque ulla speciei variatione sole clarius ille resplenduit, ob claritatis gloriosam dotem, quam sacro illius corpori anima communicavit. Inter illustres titulos, clarissimaque nomina, quibus Deum coluit d. Paulus, singulare illud est, quod appellavit eum *Dominum gloriae.* Cognomen istud optime Christo congruit: etenim quemadmodum alicuius rei dominio absolute ille dicitur potiri, qui de re pro libito suo disponere, dare, ac alienare potest, ita quoque Christus, cum summa illa gloriae suae bona ad libitum suum inter beatos dispenset, uni plus, alteri minus concedens, iuxta mensuram gratiae, quam illis praedonaverat, manifeste Dominus gloriae esse perhibetur. In cuius rei testimonium d. Ioannes libro suarum revelationum refert se vidisse plures reges procumbentes ante Agnum, offerentes eidem coronas, quasi recognoscentes, et ingenue protestantes, quod easdem ab ipso uti absoluto gloriae Domino accepissent (*Apoc.* 4): *Quae de manu tua accepimus, haec reddimus tibi.* Appellatur etiam Christus gloriae Dominus, quia eam, quae ad corpus pertinebat, quando sibi placebat, assumebat, et quando sibi videbatur, relinquebat, radios internae gloriae nunc occultabat, deinde manifestabat. Occultavit equidem eam in nativitate sua in porticu Bethlehem, nunc vero in eminenti montis Thabor fastigio eam manifestat. Quod optime declaravit Iob, cum dixit (*c.* 26): *In manibus suis abscondit lucem, et praecepit ei, ut rursus adveniat, ut annunciet de ea amico suo, et quod possessio eius sit, et quod ad eam possit ascendere.* Occultavit Christus animae suae gloriam sub velo sacratissimae humanitatis suae, doloribus miseriisque expositae. Atqui praecepit gloriae isti, ut radios aliquot emitteret, eosdemque in corpore suo manifestaret: *Praecepit ei, ut rursus adveniat, ut annunciet de ea amico suo, et quod possessio eius sit*, hoc est, ut communicet eam iusto, et poenitenti, et ut intelligat iam Dei visione perfrui posse, utpote, cui propter merita sua caelestis porta iam pateat. Ad id ergo significandum Christus Dominus se transfiguravit, ostendens nobis faciem suam adeo resplendentem, ut ipse sol cum ea collatus, obscurus esse videretur. At proh dolor, quantum ab hac differunt transfiguratione, quas hac nostra tempestate videmus? Etenim Christus vultus sui colorem nativum minime mutavit; verum profana femina adhibitis pigmentis adeo transformatur, ut qui ante fucum eam viderat, iam fucatam non cognoscat, sed penitus diversam asserat. Unde Salomon videns die quadam fucatam sponsam suam, dixit (*Cant.* 2): *Ostende mihi faciem tuam:* non dixit simpliciter: *Ostende mihi faciem*, sed, *faciem tuam*, non alienam, quam fucus praebet, non fictitiam, et a pigmentis emendicatam, sed tuam propriam, hanc mihi ostende. Miror sane, quod fucati coloris amatrix non consideret iniuriam, quam sibi ipsi infert: siquidem fatetur, ut minimum se pulchram mendicantem esse, cum pulchritudinem suam ex supposititio candore, et adventitio rubore emendicare opus habeat. Verum si iniuriam, quam sibi infert, flocci-pendit, consideret, ait Tertullianus (*de cultu femin.*), iniuriam, quam Deo irrogat: etenim quemadmodum insigni alicui pictori, ut Apelli, Protogeni, aut alteri ex illis, quos nominis sui commendat celebritas, summa esset iniuria, arrepto penicillo, imaginis ab eisdem depictae oculos emendare, aut alio colore vultum depingere velle; eadem quoque ratione maximam Deo infert iniuriam femina se fucans, cum speciem a Deo sibi inditam emendare, ac fuco corrigere contendat. Sane eiusmodi au-

daciae iustum est supplicium, ut quanto pulchritudinem suam his pigmentis augere arbitratur, tanto magis eandem minuat, immo et persaepe penitus eradat. Docet nos quippe ipsa experientia, fuco dentes putrefieri, os foetere, nativi coloris vivacitatem extingui, et formae pulchritudinem, si quae inerat, omnino deperdi. Ex quo videntibus abominabilis redditur, ut Spiritus sanctus per Ezechielem prophetam testatur, dicens (*Ezech.*16): *Abominabilem fecisti decorem tuum*; ac si dicat: antequam fuco utereris, grata, et pulchra omnibus videbaris; atqui postquam fuco falsum candorem comparare voluisti, intuentibus abominabilis facta es, et turpis.

Et resplenduit facies eius sicut sol. Tanta est pulchritudinis vis, tantaque potentia, ut quemadmodum recenset Laertius (*in vita Socratis*), magnus ille Philosophus eam *exigui temporis tyrannidem* vocaret; quod exiguo tempore, quo durat, cor occupat, invadit, et in servitutem redigit, ac demum in eo tyrannice dominatur. Magnus ille Theophrastes pulchritudinem acutissime nominavit *silentem fraudem*, utpote quae tacendo, plusquam Cicero loquendo persuadeat. Et de Carneade philosopho idem recenset Laertius, quod eam *regnum sine satellitio* vocabat: siquidem absque armorum strepitu facile vincit. Atque hac de causa crediderim Aristotelem, vel, ut aliis placet, Diogenem dixisse, quod pulchritudo litteras commendatitias secum portabat. Denique Poetae, qui sub fabularum involucris non semel veritatem docent, Amori matrem Deam assignarunt, quae uti omnium pulcherrima, a Paride iudice constitudo primas prae Iunone, et Pallade retulit: quo significare voluerunt, pulchritudinem amorem gignere. Ut igitur Christus nostrum omnium corda, mentesque ad amorem suum incenderet, atque impelleret, voluit hodierna die tanta cum pulchritudine se manifestare, ut ipse d. Petrus sola illius visione omnium laborum suorum sufficiens praemium, ac mercedem recepisse sibi videretur. Non ignorabat Christus Dominus illud, quod refert Ezechiel (*cap.*8), Israelitas videntes pulchras quasdam Idolorum Babyloniae imagines, variisque ornatas coloribus, tanto earum pulchritudinis amore allectos, ut easdem adorarint. Absit igitur, inquit Christus, ut inimici mei venustate, aut pulchritudine me praecellant: formosum adeo, pulchrum, ac decorum me in monte Thabor aspiciendum exhibebo, ut omnis humana pulchritudo decori, ac venustati meae comparata, ne umbram quidem pulchritudinis praeseferre videatur: quod ita accidisse Sponsa testatur, dicens (*Cant.* 2): *Sicut malus inter ligna silvarum, sic dilectus meus:* ac si dicat, quantum malus sapore, et dulcedine quercum, et oleastrum, ac alias similes silvestres arbores superat, tantum Christi pulchritudo omnem tam terrestrem, quam caelestem pulchritudinem antecellit. Verum animadversione dignissimum arbitror, quod Christus Dominus hanc singularem suae speciei venustatem ac splendorem manifestare distulerit usque ad transactum quadraginta dierum ieiunii spatium in deserto. Sane id putaverim fecisse, ad significandum, adeo illustrari animam ieiunio, et abstinentia, ut et in externam faciem quandoque eius splendor effluat, ut contigisse legimus illis Babyloniae pueris, qui postquam in leguminibus, et aqua ieiunassent, pulchriores, et corpulentiores ceteris delicato cibo enutritis inventi fuere (*Dan.* 1): *Post dies decem apparuerunt vultus eorum meliores, et corpulentiores prae omnibus pueris, qui vescebantur cibo regio.* Unde sicut dixit d. Basilius (*serm.* 2. *de ieiun.*): *Quantum carni detrahis, tantum facis animam spirituali valetudine relucere;* ita etiam subnectere potuisset, tantum facis animam pariter, et corpus bona valetudine relucere.

Vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix. Dicit s. Dionysius Areopagita, loquens de immenso Dei erga nos amore: *Deus amatorum morem insequitur:* et ideo non secus, ac amasius amore captus, omnia sua studia, omnes actiones, omnemque industriam eo convertit, ut cuncta opera in eius, quam diligit, obsequium cedant, et innumera perscrutatur, et investigat inventa, ut amoris sui flammas ei aperiat, et eius amorem conciliet: non secus Deus, ut corda nostra occupet, et ea in amorem sui accendat, mille modis amorem suum erga nos manifestavit: nunc eum quasi pastorem intueberis, errantem pecudem inquirentem (*Matt.*12): *Ego sum Pastor bonus;* mox quasi seminantem agricolam: *Exiit qui seminat;* deinde veluti Patrem familias ante lucem operarios ad laborandum vocantem (*Matth.* 20): *Exiit mane conducere operarios suos.* Hodierna tandem die uti animarum ardentissimus amator, elegans, atque ornatus egreditur, candidissimis gloriae suae vestibus amictus, ut habitus dignitati personae respondeat: nam sicut Sapiens eum candorem lucis aeternae appellavit (*Sap.*7): *Candor est lucis aeternae;* ita albis quoque indutus est vestimentis (*Matt.*17): *Vestimenta eius facta sunt alba sicut nix.* Tam in Exodo quam in Levitico praecepit Deus, quod quamvis summus Sacerdos cum hominibus agens, panno laneo vestiretur, in Dei tamen tabernaculum, et Sancta sanctorum ingrediens, candidissimo linteo indueretur. Idipsum adimplet nunc summus noster Sacerdos Christus Dominus, qui tametsi cum hominibus conversans solitis indumentis vestiretur; tamen velut summus Sacerdos ingrediens sancta illa Sanctorum montis Thabor, ad sacratissimam humanitatem suam exaltandam, candidissimis, solemnibusque induitur vestimentis (*Matt.*17): *Vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix.* Çommunis historicorum est opinio, atque sententia Christi vestimenta non artificiosum aliquem, sed naturalem ipsius lanae colorem retinuisse, quod aperte damnat superfluam colorum varietatem, ac vestimentorum luxuriantem profanitatem, quibus perplures nationes, praecipue tamen Hispania laborat, ubi singulis annis singuli prodeunt vestium ornatus; nullusque ita gratus est, qui brevi temporis spatio fastidire non incipiat. Hanc Hispaniae prae ceteris nationibus effrenatam consuetudinem observaverat pictor ille, dum varios vestiendi modos, iuxta populorum varietatem depingens, vidensque Hispanum tam-

quam chamaeleontem, versipellem, vel ut chimaeram quandam ex omni vestium genere compositum; thorace Gallico, caligis Brugundicis, pileo Mediolanensi, pallio Boemico, ignorabat penitus, quo genere vestimenti eum depingeret: unde in hanc incidit cogitationem, eum ante se pannum, et forficem in manibus tenentem depinxit, ut significaret, numquam a novis vestium inventis, varioque earum se abstinere ornatu. Ut tamen magis vestium cultores erubescant, silentio praeterire earum originem minime possum. Tunc initium sumpserunt, quando primi illi genitores Adam, et Eva in Deum peccavere: etenim videntes se nudos, ad tegendam suam nuditatem vestiendi modum invenere, nec habentes aliud, unde se induerent, ficus foliis nuditatem suam operuere. Hae fuerunt Adami caligae, hi thoraces, hae Evae tunicae, haec vestium eius ornamenta. Ex hac origine colligere quidem licebit, vestimenta nihil aliud fuisse, quam vittas quasdam, ad sanguinem vulneris peccati cohibendum. Veruntamen considerans ipse Deus vestimenta huiusmodi parum hominem adversus temporum iniuriam, et aeris inclementiam defendere, eidem vestimenta ex pellibus animantium gestanda, concessit (*Genes.*3): *Fecit ei Dominus tunicas pelliceas.* Verum eo paulatim crevit hominum insolentia, eoque pervenit arrogantia, atque profanitas, ut vestium cultum, atque ornatum peccati fomentum effecerint, et quod ab origine in peccati poenam datum fuit, in lautitiam, gloriam, et honorem converterint. Phrygios omnium primos, acu, filoque sarciendi artis inventores fuisse dicit Plinius; sed effrenata mortalium libido huic invento tot superaddidit, ut sola femoralia tanto, tamque vario cultu confecta sint, ut si ea dissui cernas, diversarum mercium sarcinam dissolvi existimes; ibi enim tela linea, ibi tela cannabina, ibi sericum gausapinum, ibi sericum rasum, aliaque id genus pene innumera, quae prolixum esset recensere. Atque huiusce vanitatis causam indagans, nullam equidem invevenire queo, nisi hominum insaniam, tanti facientium hominem pretiosis vestibus indutum. Vetus hic, et antiquus est error: quandoquidem, teste Isaia, videntes se cives valde oppressos sine rege, et sine regimine, quendam eleganti ornatum veste in suum regem creare voluerunt, dicentes ei: *Vestimentum tibi est, princeps esto noster;* accipe sceptrum, et coronam. Huc etiam facit, quod recenset Papa Innocentius Tertius (*lib. de miseria humanae conditionis*), ubi ait, philosophum quendam, sordidis amictum vestibus, volentem alloqui principem, a famulis prohibitum fuisse: animadvertens ob vilem habitum aditum sibi praeclusum, splendido se induit vestimento, et reversus absque mora, seu difficultate aliqua, nemine famulorum renitente, ad principem introivit. Ingressus ergo, cum vestimenta sua semel, atque iterum deoscularetur, de osculorum causa interrogatus a principe, respondit: hunc habitum honoro, quia propter illum a famulis tuis honoror, non propter doctrinam meam: quoniam neque scientia, nec vitae, et morum integritas tantum potuere, quantum thorax, et pallium istud sericum. Ac tandem summus ille Pontifex concludit, improbans, et obiurgans stultitiam eorum, qui plus honoris vestimentorum elegantiae, quam hominis scientiae, doctrinaeque deferunt. Hoc enim inter alia manifestum est discrimen inter illustrem, et ignobilem: illustris namque vestimenta sua illustrat, ac eis splendorem impertit, ut contigit Christo transfigurato, cum insignis ille vestimentorum suorum nitor, atque decor a Christi faciei claritate efflueret; ignobilis vero, et abiectae conditionis a vestimentis splendorem mutuat, quem tamen ipsa ab ovibus, et vermibus emendicarunt. Atque hoc loco inquirere licebit, quid causae sit, Christi facie, ut sole resplendente, *Resplenduit facies eius sicut sol*, intuentium discipulorum oculos hic fulgor non offuscaverit, et tamen claritas faciei Moysis, quae non erat ut solis, sed potius, ut lunae, cum instar lunae *facies eius esset cornuta*, ita splenderet, et coruscaret, ut Israelitae nisi conniventibus oculis eum intueri minime possent. Huius difficultatis solutionem arbitror desumendam fore ex discrimine, quod versabatur inter lucem, et splendorem Christi, et Moysis: splendor enim ille Christi ex propria, et interna eius gloria resultabat; Moysis vero alienus, et adventitius erat, nec a subiecto cui inerat, oriebatur; ideoque contemplantium oculos offendebat, quod satis ad vivum exprimit id quod in rebus humanis non semel experimur: dum enim honoris splendor ex propriis cuiusque meritis, ut doctrina, vitae integritate, aut alio iusto titulo oritur, libenter homines illum deferunt; cum vero quis ex superbia, et elatione illum sibi adventitium affectat, omnium animos offendit, nec ei, quem sibi cupit exhiberi, honorem deferunt. Verum ne ab instituto divertere videar, placet ad cohibendum vestimentorum ornatum, nonnulla hic adnectere ex multis, quae in sacris litteris reperio, quae non obscure ostendunt, quam severe Deus illum puniat. Achan Dei iussu lapidatus fuit, eo quod pallium coccineum adornatum sibi abscondisset. Et quia rex Saul pretiosas vestes ambiens, ex Amalech cum aliis spoliis illas tulit, Samuel propheta ex divino praecepto illum regno privavit. Giezi Elisaei famulus, quia a Naaman propheta Elisaei nomine, vestimentum pretiosum mendaciter postulavit, condigna poena leprae, qua Naaman laborabat, mulctatus fuit. Quid plura? Vestimenta Esau pretiosa, et odorifera, primogenitura illum expoliarunt: illis enim Rebeccae industria Iacob indutus, patrem fefellit, et benedictionem ab eo extorsit, et primogeniturae benedictionem obtinuit. Nec ignoramus d. Lucam divitis perversitatem incusantem illud praecipue commemorasse, quod *induebatur purpura, et bisso:* ac tandem idem d. Lucas refert, Herodem die quadam veste regia indutum tanta arrogantia elatum fuisse, ut tamquam Deus adorari voluerit; angelo tamen coelitus delapso, consumptum vermibus meritas tantae insolentiae poenas persolvisse. Summa proculdubio fuit stultitia, velle ob vestes honorari, cum potius vestes ipsae ab homine honorari debeant, ut in Christo Domino

accidisse supra notavimus. Unde cum dixit (*Matth.* 6): *Quis vestrum potest adiicere ad staturam suam cubitum unum?* continuo subiunxit: *Et de vestimento quid solliciti estis?* quasi diceret: scitote quod si inane est primum illud procurare, itidem et secundum: sicut enim staturae quidquam addi non potest, quod illam augeat; sic neque honorem debitum ornatus vestium quidquam adaugebit.

Vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix. Splendor ille, atque decor faciei Christi Domini in vestimenta eius derivatus, id mihi ob oculos ponit, quod olim Isaias dixit, Christi vestimenta esse Iustos, dum ait (*c.* 49): *His omnibus velut ornamento vestieris:* communicatio ergo illa claritatis, et candoris Christi vestimentis suis, significabat a Christo tamquam a capite in hac vita gratiam; in alia vero gloriam in membra eius, qui sunt Iusti, effluendam. Quin etiam denotabat, ut sapienter observavit s. Chrysostomus (*hom.* 15. *Imperfecti*), quod quando conscientia, quae animae facies est, pura, candida, nullisque infecta maculis perseverat, exteriora hominum opera internam illam puritatem, et candorem indicant, iuxta illud Salomonis (*Eccles.* 19): *Amictus corporis, et risus dentium enunciant de homine.* Et quemadmodum fieri minime potest, ut ignem sinu gestans dissimulare possit (*Prov.* 6): *Numquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut non ardeant vestimenta illius?* Et sicut etiam fieri nequit, ut succino, vel musco onusti odorem non emittant; ita nec quod conscientia pura, atque sancta bonorum operum partus non pariat, et bonus eius odor non innotescat: opera enim hominem manifestant, teste Aristotele (4. *Eth. c.* 7) dicente: *Qualis quisque est, talia sunt eius facta, et oratio, et vita.* Quod et sub metaphora arboris, *Arbor bona bonos fructus facit,* Christus Dominus dixit; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA X.

De causis, ob quas Christus Dominus vocaverit in testes suae transfigurationis illos duos prophetas Moysem, et Eliam, et de multiplici excessu amoris Christi, in illa verba: Et apparuerunt illis Moyses, et Elias cum eo loquentes: *et illa alia:* Dicebant excessum, quem completurus erat in Hierusalem.

Quemadmodum, ut memoriae divina proditum reliquit Scriptura, admirabilis illa veteris Testamenti arca, dum in deserti solitudine erat, ovium pellibus operta, in templo vero ingenti cum splendore inter duos cherubim splendebat; ita quoque Redemptor noster Christus, cuius humanitatis figuram, et imaginem gessit, mysteriosa illa testamenti arca inter Hebraeos commorans, communi aliorum utebatur amictu. Atqui nunc in Sanctum sanctorum montis Thabor conscendens, cooperto veteri amictu, coelestibus gloriae vestibus induitur, ac inter duos Cherubim, Moysem videlicet, et Eliam collocatur. Qua autem de causa Christus duos illos assumpserit Prophetas, magna est inter sacros Doctores sententiarum varietas. Magnus ille Pater d. Hilarius dicit, fecisse id ad declarandum, se vitae, et mortis dominum esse, ac utriusque claves tenere, ex quo Moysem mortuum e sinu Abrahae, vivum vero Eliam e paradiso evocavit; ad quod nonnulli accommodant illud Canticorum (*c.* 2): *Ego flos campi, et lilium convallium:* etenim iuxta expositionem s. Gregorii Nysseni, perinde est ac si dixisset: *Ego sum spes in altissimo paradiso commorantium, et in profundo limbi habitantium.* Ad cuius rei comprobationem Eliam paradisi, et Moysem limbi habitatorem convocavit. S. Hieronymus in aliam abiit sententiam, dicens, id factum fuisse, ut sacrum Quadragesimae ieiunium commendaret; quod ipse Christus iam in deserti solitudine ante transfigurationem suam ieiunus sacraverat, et Patrum istorum Moysis, et Eliae quadraginta dierum ieiunium praefigurarat. S. Hieronymus pulchram aliam affert rationem: dicit enim Christum e coelo Moysem, e paradiso Eliam accersisse ad communicandum discipulis suis, tamquam amicis portentosum signum, quod videre noluerat rex Achaz: *Pete tibi signum a Domino Deo tuo sive in profundum inferni, sive in excelsum supra. Si,* inquit, *impius ille rex, nec coeli, nec terrae signa videre voluit, videant illa dilecti mei discipuli, videant inquam, in Moyse de coelo, quod tunc erat, in Elia e terra egressis.* Tertullianus (*lib.* 4. *cont. Marc.*) ait, Christum eapropter adduxisse Moysem, qui legem, et Eliam, qui Prophetas repraesentabat, ut omnes intelligerent, eorum scopum nullum alium fuisse, quam Christum ipsum, in quem tamquam in eorum ultimum finem dirigebantur. Persimilem rationem reddit s. Thomas (3. *p. q.* 45. *art.* 3) dum ait, quod quia lex, et Prophetae de Christo testimonium protulerant, et Moyses fuerat legislator, et Elias Propheta insignis, ab iisdem associari voluit. Alii dicunt, quod supposita opinione, quam refert d. Hilarius (*can.* 20. *sup. Matt.*), et cui ipse videtur magis adhaerere, Moysem scilicet, et Eliam venturos fore Antichristi temporibus; ideo Christus cupiens Moysem, et Eliam fideles divinitatis suae testes esse, nunc in gloriae suae testes adhibuit. Alii voluerunt, quod quemadmodum in Christo duplex reperitur natura, una coelestis, scilicet divina, altera vero terrestris, nempe humana, ita quoque in testimonium huius voluit Moysem e coelo illius temporis, quod erat sinus Abrahae, et Eliam e terra, hoc est ex terrestri paradiso vocare. Verum quantumvis praemissa omnia videantur rationi consentanea, quatuor nihilominus praecipuae causae mihi magis arrident, quarum prima est d. Augustini (*lib. de sacrae Scripturae mirab. cap.* 10) asserentis eo Moysem, et Eliam vocatos fuisse, *quia ambo luminosi*, hoc est, quia non modo ambo, et zeli, et mansuetudinis Christi, sed etiam gloriosae ac lucidissimae illius transfiguratio-

nis figura extitere: Moyses quippe dum populum alloquebatur, prae nimio splendore faciem suam velo contegebat (*Exod.* 34): *Habebat velamen super faciem suam, quia non poterant intendere in faciem eius:* dum tamen montem, Deum allocuturus, conscendebat, levato velamine faciem detegebat; non secus Christus, dum inter mortalium coetus versabatur, mortalitatis involucris ac velaminibus gloriae suae splendorem operiebat; at in monte Thabor partim amicis suis manifestavit, atque detexit. In Elia quoque admirabilis transfigurationis Christi imago praeluxit: nam sicut ipse sublimis in curru triumphali sublatus pallium Elisaeo amico suo dimisit; ita quoque Christus in altissimum montis Thabor fastigium gloriosissimo splendidissimoque sacrati corporis sui curru evectus, videntibus discipulis suis, splendoris, et claritatis gloriosum pallium Moysi, et Eliae communicavit, d. Luca dicente, quod *visi sunt in maiestate.* Secunda vero ratio est illa magni Patris s. Irenaei (*lib.* 4. *cont. Valent. cap.* 37), et Origenis (*hom.* 12. *sup. Exod. et hom.* 17. *super Num.*), ubi dicunt Deum se timentium desideriis, et petitionibus libenter annuere: *Voluntatem timentium se faciet.* Quia ergo enixe deprecatus fuerat Moyses Deum, ut faciem suam sibi demonstraret: *Domine ostende mihi faciem tuam:* saepius quidem tecum loquor, sed numquam te video, detege mihi, quaeso, speciem tuam; respondit ei Deus; *posteriora mea videbis*, nunc esto contentus terga mea videre; veniet tamen tempus, cum desiderium tuum videndi faciem meam adimplebitur. Quo audito Moyses summa semper cupiditate videndi Deum inardebat. Ascendentem igitur Christum in montem Thabor, contemplantur hi Patres dixisse: memini me olim Moysi faciem videre meam desideranti pollicitum fuisse eam illi ostensurum, nunc promissionem illi adimplebo, videbit faciem meam humanam, summi splendoris, inauditaeque pulchritudinis radiis emicantem, veniat huc Moyses, placet mihi ipsius desiderio facere satis (*Ps.* 20): *Desiderium cordis eius tribuisti ei.* Ob hanc ergo causam gloriae Christi transfigurationi adfuit Moyses. Verum videamus modo, quam ob rem et Eliam illi adesse etiam voluerit. Arbitror, quia rationi consentaneum erat, ut Christus, qui sublimiorum virorum exemplar quoddam est, inter Moysem mansuetum, et Eliam zelotypum, severumque conspiceretur: etenim rerum publicarum gubernatores mansuetudinis, et iustae severitatis amatores esse debent, ne vel nimia mansuetudine languescant, vel nimia severitate excandescant. Observavit id rex Henricus huius nominis Quartus, qui loco stemmatum, et insignium malum granatum nec penitus acre, nec omnino dulce accepit, cum hac inscriptione, *Subacre.* Ad significandum igitur reipublicae gubernacula tenentes partim mansuetudine, et dulcedine, partim iustitia, et rigore uti debere, voluit Christus inter Eliam zelotypum, et Moysem mansuetum collocari, *medium enim tenuere beati.* Sed et tertiam rationem non minus pulchram subiiciamus, ad quam corroborandam suppono unam ex causis, propter quas Christus transfigurari voluit, fuisse, ut incredulis divinitatis suae testimonium aliquod exhiberet. In cuius rei figuram tradunt divinae litterae praecessisse insigne illud baculi Aaronis miraculum. Videns enim Deus populi Israelitici in eligendo summo Sacerdote maximam discordiam, praecepit, ut quisque baculum suum adportaret, et summi Sacerdotis dignitas illius esset, cuius baculus floresceret. Non sine miraculo igitur confestim aridus Aaronis baculus floruit, viridesque, et odoriferos flores germinavit, atque ita in officio divinitus remansit. Non secus videns aeternus Pater inter Hebraeos magnam esse dissensionem, variasque sententias, *An christus verus Deus esset*, voluit, ut in testimonium divinitatis suae baculus humanitatis Christi in monte Thabor floresceret, ac gloriae suae copiosissimos flores produceret, adeo, ut Petrus in laborum suorum mercedem illius contemplatione contentus videretur. Congruit huic argumento illud, quod Plinius refert (*Historiae suae naturalis libri* 3. *cap.* 9), ubi ait, in mari rubro insulam quandam esse, et in ea speluncam, in cuius latebris absconditus erat lapis, cuius mirabilis splendor non effulgebat, quousque solis radii per os speluncae introirent, eundemque percuterent: unde veluti caelestis quidam nitidissimus arcus pacis, et foederis symbolum resultabat. Non dissimiliter in medio conflictu illius controversiae, *An Christus vere Deus esset*, splendidissimum divinitatis suae lapidem intra speluncae mortalis corporis latebras absconditum gestabat; verum sole gloriae suae in illius humanitatem *lucis suae radios* immittente, quando *resplenduit facies eius sicut sol,* continuo arcus foederis, ac concordiae, diversa antea opinantium oculis apparuit, veram Christi divinitatem testificans. Hoc ergo supposito Christus ducens secum in montem Thabor Eliam, et Moysem, duplex divinitatis suae testimonium dedisse mihi videtur. Primum, quia nullus hominum Moysis sepulturam praeter Deum sciebat (*Deut.* 34): *Non cognovit homo sepulturam eius usque in praesentem diem.* Elias etiam in curru igneo in paradisum evectus fuit, locum secretum adeo, atque ignotum, ut mortalium nemo suis viribus post expulsum Adamum eo pervenire potuerit, solusque Deus, et cui ipse voluit revelare, illius sedem, situmque certo agnoscat. Adducere igitur Christus ex locis tam incognitis universo mortalium generi Moysem, et Eliam, non obscurum divinitatis suae testimonium exhibuit. Secundum, quia cum duo isti Patriarchae eum tamquam verum Deum agnoscerent, et venerarentur, veritas divinitatis suae omnino certa, atque indubitata reddebatur: nam cum ipsi adeo gloriae Dei amatores, ac zelotypi essent, facile omnes sibi persuaderent, divinos illos honores neutiquam ei exhibituros, qui verus Deus non esset. Moysem quidem non ignoramus aegro adeo animo Israelitarum idololatriam tulisse, ut quamvis singulari mansuetudine praeditus esset; nihilominus districto iustitiae gladio maximam mortalitatis stragem eisdem intulerit; Eliam vero quis tam divinarum litterarum ignarus erit, qui nesciat, numquam illum tam di-

vini honoris zelotypiae clariora signa prodidisse, quam in Deorum multitudine profliganda? Ob divinae enim unitatis defensionem, ingentem falsi Baal sacerdotum multitudinem interfecit, nec regi Achab, aut reginae etiam Iezabel pepercit, sed acerrime, ut par erat, increpavit. Quin etiam apud s. Matthaeum legimus, acerrimos illos Christi inimicos, dum in cruce diceret, *Eli, Eli, lamma sabacthani*, credidisse, quod Eliam invocaret, eaque de causa offerenti ipsi spongiam felle, et aceto tinctam dixisse: *Sine, videamus, si Elias veniat qui liberet eum:* ac si dicerent, cum Elias Deos falsos non patiatur, si iste falsus est, non iuvabit eum; sin autem venerit, verus Deus esse cognoscetur: tantam omnes zeli Eliae conceperant opinionem. Agnoscens igitur hoc Christus, voluit in gloriosae illius transfigurationis die, in divinitatis suae testes Moysem, et Eliam adducere, ut dum ipsi eum in verum Deum reciperent, et colerent, reliqui eum Deum acclamare non dubitarent. Quarta, et postrema ratio, licet minus a quibusdam recepta, acceptari tamen meretur. Iustos enim animare volens, extremi iudicii diem ad eorum memoriam opportune satis reduxit, in quo bona opera praemiabuntur, mala vero aeterno igne punientur, iuxta illud Ecclesiastici (*Eccl*.3): *Dixi in corde meo, iustum, et impium iudicabit Deus, et tempus omnis rei tunc erit.*

Verum videamus modo, si Moyses, et Elias ibidem cum Christo loquebantur, ut ait s. Matthaeus (*c*. 17): *Apparuerunt Moyses, et Elias cum eo loquentes;* quid, quaeso, ibi tractabant? Id nobis edisserit S. Lucas (*c*.9): *Dicebant excessum, quem completurus erat in Hierusalem.* Unde d. Hieronymus (*lib*. 2. *con. Iovini. c*.10), et s. Cyrillus (*c*. 7. *Isaiae*), ubi vulgata nostra legit, *cum eo loquentes:* ipsi interpretantur: *loquebantur de excessu;* quae verba semper allegantur tamquam verba Evangelii, licet revera praedictorum Patrum translatio sit, itaque ibi de morte per Christum Hierosolymis subeunda sermo fuit. Videbitur fortasse cuipiam prima facie id intuenti, importuno tempore de morte sermonem tunc habitum fuisse: tempus enim erat gaudii, non doloris; tempus voluptatis, non moestitiae; tempus gloriae, non mortis: non ergo huius sermo tunc miscendus erat, maxime Spiritu sancto dicente, aliud esse tempus *ridendi*, et aliud *flendi*, quibus innuit haec non miscenda. Verum si rem altius contemplemur, et mentis aciem ad universa Christi vitae opera convertamus, inveniemus in omnibus gaudii, et gloriae suae actionibus, semper mortis memoriam immiscuisse. In baptismo, ubi audita fuit vox aeterni Patris, Filium suum unigenitum attestans, et Spiritus sanctus apparuit super caput eius in forma columbae delabens, velut corona innocentiam eius redimiens, ibi Evangelista adnotavit statim dixisse (*Luc*. 12): *Baptismo habeo baptizari, et quomodo coarctor donec veniat?* quasi diceret: post hunc aquae baptismum alius me sanguinis expectat, quae mirum in modum cupio. S. Petri publica confessione, totius Apostolici collegii nomine, Dei vivi Filius fuit appellatus (*Matt*. 16): *Tu es Christus Filius Dei vivi*, et tamen in tanto tam eius, quam confitentium ipsum gaudio, confestim in Hierusalem occidendum fore eis enunciavit (*Matt*.20): *Ecce ascendimus Hierosolymam, et Filius hominis tradetur etc.* Quin etiam Christo in domo Lazari existente, omnes undique populi ad eum confluebant, domos, et eorum propria bona relinquebant, ut eum viderent, et honorarent: et tunc temporis ait illis (*Ioan*.12): *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet.* Ac denique hodierna die in monte Thabor gloriosus existens, duobus illis antiquis patriarchis Elia, et Moyse stipatus, cum illis de morte sermonem instituit. Tres huiusce rei causas invenio. Prima est, ut Christus nos doceret mortis memoriam gaudiis nostris intermiscendam fore: cui doctrinae etiam Ethnici ipsi solo naturae lumine illustrati obsequentissimi fuere. Etenim, teste d. Hieronymo, suo, et antiquis Romanorum temporibus in more positum erat, ut Imperatorem Romae triumphantem, Senatus nomine, praecederet aliquis, clamando: *Respice ad eos, qui te praecesserunt, et memento te esse moriturum.* Quin et Claudius Paradinus recenset in Imperatorum coronationibus huiusmodi caeremoniae genus usitatum fuisse, ut eo tempore, quo capiti corona, manibus vero imperiale sceptrum imponebatur, egregius aliquis sepulcrorum fabricator tres, aut quatuor diversos lapides, alabastrum, iaspidem, et porphyrum afferens alta voce diceret:

Elige ab his saxis, ex quo, Augustissime Caesar
Ipse tibi tumulum me fabricare velis.

Ut tamen silentio praeteream multa, egregiaque exempla, ex quibus luce clarius patere posset, quantum commodi mortis memoria afferat: duo tantum commemorabo ex divinarum litterarum monumentis mutuata. Primum est ex quarto Regum, ubi sacra narrat Historia, quod postquam Naaman fuerat per Elisaeum a lepra curatus, petiit ab eo, ut sibi permitteret terram aliquam ex eo loco in propriam patriam asportare: *Concede mihi servo tuo, ut tollam onus duorum burdonum de terra.* Scio Glossam ordinariam huius facti hanc assignare rationem: *Partem sanctae terra secum tulit Naaman, ut poneret in templo Idolorum, et super eam consistens, Dominum cuius erat terra, adoraret, ne offenderet dominum suum.* Haud ignoro etiam nostrum Nicolaum de Lyra existimasse, Naaman portasse illam terram, quia reputabat sanctam, propter cultum Dei ibi vigentem: intendebat enim ex ea facere altare in domo sua, secundum quod dicitur: *Altare de terra facietis mihi.* Nec me latet, Abulensem (*in comm. huius loci*) in ea fuisse sententia, ut putaret, quod postquam Naaman firmissime proposuerat soli vero Deo cultum exhibere, consulto terram illam secum tulit, et in templo collocavit, ut illam intuens, ab idolorum cultu animum coerceret, nec alios idolorum cultores ibidem sacrificia offerentes imitaretur. Verum haec omnia licet ingeniose dicta sint, minime inficiabor aliorum expositionem nostro argumento valde consentaneam, dum

aiunt terram illam secum tulisse Naaman, ut memor leprae, qua tamquam mortalis homo laboraverat, consuetudinem idolatrandi fortiter compesceret; iudicans quidem nihil sane a tanto scelere posse illum efficacius avocare, quam mortalitatis, et humanae conditionis miseriae crebram recordationem: unde postquam petierat facultatem asportandi terram ab Elisaeo, continuo subiunxit (4. *Reg*. 3): *Non enim faciet ultra servus tuus holocaustum, aut victimam diis alienis, nisi Domino.* Secundum, ad idem, et huic nostro instituto cousentaneum valde legimus (*eodem libro* 4. *Regum*), quod et praecedens non parum confirmat. Refert sacer textus, quod rex Iosias divini honoris zelo accensus, non solum praecepit omnia vasa Baal comburi, aruspices eorum penitus deleri, lucum, ex cuius lignis idola fiebant, in cinerem redigi, altaria idolorum solo aequari; sed et loca ista mortuorum ossibus repleri, putans sane nihil magis idololatras deterrere posse ab idolorum cultu, quam mortis memoriam. Quibus omnibus aperte nos Spiritus sanctus docet, ad universa coercenda vitia, superbiam, libidinem, ambitionem, et similia, mortis recordationem praesentissimum remedium esse. Quod etiam, ut Christus Dominus admoneret, frequenter mortem in memoriam nobis revocavit, et transfigurationis gaudio illam miscuit. Sed, proh dolor, quam pauci sunt, qui hanc divinam monitionem suscipiunt, et quamvis immissam a Deo bonam mortis cogitationem procul abiiciunt, et longitudine vitae, cuius nec momentum unum certum habent, falso sibi blandiuntur, et quodammodo immortales se autumant? Non adeo mirum est, quod olim diabolus primis parentibus neutiquam morituros suaderet: *Nequaquam morte moriemini;* cum nec mortem, nec eius vestigium viderant, tamen nos, qui quotidie parentes, consanguineos, amicos, principes, et plebeios interire cernimus, mirabile, immo et incredibile videtur ita facile persuaderi, non quidem nunquam, sed non hoc anno, nec sequenti, et sic de singulis, fore morituros. Mihi sane videtur in hoc daemonem medicorum industriam imitari, qui infirmo daturi certam pulpae casiae quantitatem, non totam simul accipiendam proponunt, sed in perexiguas buccellas divisam, ut paulatim omnes assumens integram tandem quantitatem ad corporis purgationem necessariam accipiat. Non dissimiliter humani generis hostis, cum haud possit fidelibus numquam morituros persuadere: quippe, ut ait d. Paulus (*Hebr*. 9): *Statutum est hominibus semel mori*, suadet hoc mense non morituros, nec sequenti, nec hoc anno, nec futuro, et sic de singulis divisim: ex quo fit, ut perinde vivant, ac si tamquam aeterni numquam essent morituri, insipientiores, et insensibiliores in hoc quam bruta ipsa animantia. Volucres enim escam sumentes, et sub umbra arboris tempore aestivo se reficientes, si accipitrem adventare animadvertant, omnes continuo relicta esca, et umbra quibus refocillabantur, aufugiunt, et in tutum locum se recipiunt; vos autem tametsi rationis non expertes, cernentes mortis accipitrem rapacibus suis unguibus fratrem vestrum, amicum, vicinum, et alios perplures invadentem, voluptatum escam, profani honoris umbram, illicitos contractus, peccaminosa lucra, odium, et rancorem, et his similia, non modo non deseritis, non aufugitis, non execramini, sed illis tenacius adhaeretis. Hoc quid est, nisi quod practice, et opere ipso, si non speculative, vos aeternos esse putatis? Hanc mendacem, et noxiam opinionem aperte satis refellunt variae illae hominis descriptiones, quas scientiae ex praecepto Minervae in unum congregatae, ut antiqui confinxere, tradiderunt. Dialectica dixit: *Homo est breve quoddam enthymema*, id est, velut oratio brevis, non habens aliud, quam antecedens, et consequens: pro antecedenti est ortus, et pro consequenti interitus. Astrologia illum aliter descripsit, dicens: *Homo est mutabilis sicut luna;* quam solam novimus inter omnes planetas crescere, et decrescere. Physica respondit: *Homo est animal rationale mortale.* Mathematica tandem, et accommodatius ad nostram intentionem sic eum definivit: *Homo est velut figura sphaerica;* quae definitio prae ceteris omnibus placuit Minervae, quia sicut figura sphaerica in idem quo incipit punctum, desinit, et terminatur; ita homo incipiens ex terra esse (*Gen*. 2): *Formavit Deus hominem de limo terrae*, in terram tandem desinit: *Pulvis es, et in pulverem reverteris.* Huius cogitationis assiduitatem tamquam valde utilem exquirit Deus a nobis per Hieremiam: nam ubi vulgata lectio vertit: *Vide vias tuas in convalle*, d. Hieronymus transtulit: *Vide vias tuas in sepulcro.* Utilitas autem eius, reguli exemplo, quod adducit d. Ambrosius (*super Psal*. 118), et referunt alii Doctores, facile colligi potest. Aiunt basiliscum, seu regulum, si praeviderit hominem, interfici ab eo: sin minus ab homine praevidetur, illum continuo interire. Hanc ergo secum affert utilitatem mortis meditatio, quam praevidens homo illam non laeditur ab ea; praevisus vero, et absque debita dispositione praeoccupatus ab eadem, in mortem praecipitabitur aeternam. Salvator igitur mundi, ut nobis non solum verbo, sed exemplo mortis assiduae cogitationis utilitatem doceret, frequenter mortem suam ad memoriam revocabat, et de ea confabulabatur. Secundam causam, ob quam Christus in gloriosa transfigurationis die de morte sua agi voluit, arbitror fuisse, ut significaret nobis ad gloriae possessionem, proprietatemque consequendam, certam, et indubitatam viam esse passionum mortificationem, ac vitiorum acerbam mortem, difficultates omnes ad huius victoriae palmam reportandam viriliter superando. Quaesivit Procopius Gazaeus (*in suis comment.*), ut quid Deus ante paradisi portam potius cherubim, quam angelum, archangelum, thronum, aut potestatem ad ingressum Adamo prohibendum collocarit? Et respondit ipse, quod quia cherubim singulari scientia pollet, ideoque plenitudo scientiae exponitur, et Adam e paradiso expulsus fuerat fallaci illa scientia, quam serpens docuit (*Gen*. 3): *Eritis sicut Dii*, rationi consentaneum erat, ut in illius locum verae scientiae magister subintraret, qui mendacem illam scien-

tiam dedoceret. Persuasit daemon, quod de vetitae arboris fructibus comedentes, paradisi domini efficerentur ; cherubim autem flammeo gladio, quem in manu gestabat, testificabatur, per ignem, et sanguinem in coelestis paradisi gloriam introeundum esse, et non per prohibiti fructus delicias. Atque ad lilteram de hac scientia intelligendum est illud Salomonis (*Sap.* 10): *Dedit illi scientiam sanctorum , et honestavit illum in laboribus, et complevit labores illius.* Deus iustis dedit propriam sanctorum scientiam, docentem, non aliud coeli iter esse, quam crucis , et laborum firmam tolerantiam. Huic adeo Paulus assuefactus erat, ut diceret (*Rom.* 5): *Gloriamur in tribulationibus:* quod licet aliis verbis praedixerat David (*Ps.* 4): *In tribulatione dilatasti mihi*; vel ut legit Pagninus: *In angustiis delectationem fecisti mihi.* At dices, id videtur contra omnem rationem, et contra omnem philosophiam: angustia enim non dilatat, sed potius comprimit , atque stringit cor ; et ideo dolor angustia appellatur, quia illud angustiat, contrahit, et quodammodo suffocat. Verum in hoc detegitur omnipotentia divina, ut mediis, quibus tam visibiles , quam invisibiles hostes nos opprimunt, et praecordia coangustant, eisdem Deus ea dilatet, atque ampliet; et unde ipse daemon tentandi materiam invenit, inde Deus patientiae exercitium iusto praebet ; et unde daemon putat libidinis flammas accendere, inde Deus cupidinis victoriam prodire facit sciens (*Rom.* 5) : *Quoniam tribulatio patientiam operatur:* immittit enim plerumque tentationem acriter adeo humani generis hostis , ut Iob illam vocarit ignem devorantem: *Ignis est usque ad perditionem devorans ;* in illo tamen igne novit Deus iustum emundare, et purificare, iuxta illud (*Ezech.* 3): *Tamquam aurum in fornace probavit electos Dominus.* Atque huc facit locus ille Ezechielis , in quo , ubi nostra vulgata habet, *Et abii amarus in indignatione spiritus,* Septuaginta interpretantur, *Et abii sublimis in impetu spiritus mei* Et quamvis non videantur cohaerere illa duo, miseria, afflictio , et angustia ex una parte , et sublimitas ex alia, cum illa potius deiiciant, et demittant, quam sublevent; multum tamen per omnem modum sibi consentiunt : etenim miseriae, quae ob honorem Dei tolerantur, non sunt sicut illae , quae ab huiusmodi mundi martyribus perferuntur: haec enim sicut onera deprimunt, et quandoque etiam animam praecipitant, illae vero tamquam alae sunt , quibus iustorum animae elevantur, ac veluti regales quaedam aquilae ad aeternae felicitatis fastigium transcendunt : unde non dissentiunt illa duo: *Abii amarus, et abii sublimis.* Tertiam vero huiusce cum Moyse, et Elia de subeunda Hierosolymis morte sermonis causam assignare possumus , quod ille erat Christo alacris , et placidus , et Moysi , et Eliae copiosa se oblectandi materies: unde non incongrue tempore laetitiae illum intermiscuit. Et quidem Moysem, et Eliam ex mortis Christi sermone exhilaratos fuisse, ex eo facile liquet, quod cum ipsi tunc carcere abditi, ille in sinu Abrahae, hic in corporis sui ergastulo existeret , nec ignorarent per mortem libertate donandos, occlusamque coeli ianuam aperiendam, consequens erat mortis sermonem pergratum, et iucundum illis fuisse, non minus, quam esse soleat Turcarum servituti mancipatis, si de suo pretio, ac redemptione tractari audiant. Christo etiam de morte sua habitum sermonem singularis fuisse alacritatis , et oblectationis , evidenter probatur. Primo ex ore eius (*Luc.* 21): *Quomodo coarctor donec veniat?* scilicet mors. Cuiuscumque enim rei desiderio tenemur , dulcis illius est memoria, et amara dilatio. Secundo, quia ubi d. Hieronymus legit: *Loquebantur de excessu,* alii transferunt: *Loquebantur de gloria:* semper enim amanti gloriosum visum est mori pro amato. Tertio, quia unicuique pergratum est de officio, et munere suo sermonem facere; mercatori, de mercibus ; litterato viro de litteris ; militi de armis ; et agricolae de agricultura. Cum ergo Christi officium , et munus esset animas salvare, ut nomen ipsum, Iesus, quod Salvator interpretatur, clare significat; dubitari minime potest, quin eum de morte eius sermo oblectaret, a qua nostrum omnium pendebat salus.

Porro cum Evangelista Christi passionem , et mortem vocaverit excessum, diligenter examinemus, in quo excessus iste consistat. Profecto mille modis illum expendere licet , ad excitandum in nobis excessivum, si ita fas est loqui , erga Christum amorem. Si enim rem altius contemplemur, inveniemus sane in Christo eos fuisse excessus, qui non modo naturae facultatem , verum etiam ipsius gratiae consuetas metas transiliant. Primus itaque excessus fuit , quod cum angelicam potuisset assumere naturam, humanam propter nos sibi univerit, et cum impassibilem, aut immortalem, non nisi mortalem, et multis aerumnis obnoxiam elegerit. Membra ipsa instinctu quodam naturali inclinantur , ut caput a quacumque iniuria, aut ictu defendant, ut experientia docet: nam cum quis in nos saxum proiicit, naturali motu manum tamquam clypeum ad capitis defensionem admovemus; at Christus inclinationem hanc naturae excedens, cum alioquin caput nostrum esset, se ipsum tamquam clypeum quendam exposuit ad vulnera in se recipienda, quae nobis debebantur.

Natura non patris, sed matris uberibus lac infundit; at Christi amor in hoc etiam excessit, nos suis nutrit uberibus (*Is.* 68): *Ad ubera mea portabimini:* et per Oseam: *Ego lactabo eam:* et ibidem : *Quasi nutritius Ephraim portabam eos in brachiis meis:* fungar nutricis officio, et amore excedam illam: nutricis enim summum est officium tenerum infantulum biennio lactare; verum nutrio filios meos in longissimum tempus (*Psal.* 70): *Usque ad senectam, et senium ego feram , ego portabo.* His accedit rarus , et inauditus amoris excessus, ut Creator pro creatura vitam effundat, medicus infirmetur, ut sanetur infirmus , Dominus tandem intereat , ut vile mancipium vivat. Animalibus , aut coeli avibus non deest ubi requiescant (*Luc.* 9): *Vulpes foveas habent , et volucres coeli nidos ; Filius autem hominis non habuit, ubi caput suum reclinaret.* Quis tam pauper, et inops, ut proximus morti ad se operiendum tegumen aliquod ei deficiat? defuit nihilominus ipsi Christo in cruce pendenti: immo ipsa elementa omnibus tam communia ipsi defuere: defuit illi ignis in praesepi frigore trementi: defuit aer, cum nocte ante mortem suam adeo fatigatus, et vexatus esset, ut vixdum respirandi sibi superesset vis: defuit aqua , sitienti enim fel , et acetum obtulere: defuit terra, in cruce enim complicatis pedibus mortuus est. Excessus quoque fuit crudele genus mortis Christi , dum tot excessivos dolores pertulit , adeoque ardenter salutem nostram desiderabat, ut quamvis aeternus Pater ei ne flagrum quidem, aut vibicem unum remitteret, nulla aut pignoris, aut pretii magnitudo ipsum deterruit, sed summa munificentia summum pretium exsolvit , non argentum, non aurum Arabicum, non margaritas, non omnes mundi thesauros, sed Dei sanguinem, qui mille mundis multo etiam est pretiosior. Dare igitur rem multis mundis pretiosiorem pro unius dumtaxat mundi libertate, nonne excessus fuit? Unde Iob loquens in persona Christi, ait (*Iob* 6): *Utinam appenderentur peccata mea, et calamitas quam patior, in statera , ut arena maris haec gravior appareret ;* ac si diceret , utinam hominum peccata , et calamitates meae in bilance ponerentur , proculdubio quaelibet illarum omnibus eorum culpis praeponderaret: *Omnia* , inquit Sapiens (*Sap.* 11), *qūae Deus fecit, in pondere, et mensura fecit;* solum tamen amare , et pati sine mensura voluit Christus : id quod in statera crucis non obscure innotuit , ita enim illam vocat Ecclesia , *Statera facta corporis.* Quando staterae iustum, aequumque examen est, non magis in unam, quam in alteram partem propendet; quod si propendeat, necesse est maius esse pondus unius lancis, quam alterius. Christus igitur in statera crucis , et nostras culpas, et poenas suas collocavit, poenas quidem ad dexteram, culpas vero ad sinistram; verum ipsum staterae examen, quod erat Christi caput, in dexteram inclinavit (*Ioan.* 19): *Inclinato capite tradidit spiritum.* Quo non obscure significavit, poenas eius culpis nostris praeponderare , longoque intervallo illas excedere. Excessus ergo fuit calamitatum, dolorum, et meritorum Christi super delicta, et demerita nostra: iure igitur optimo Evangelista Christi mortem excessum vocavit. Denique vocante Evangelista mortem excessum in die gloriosae transfigurationis , immensus , et excessivus Christi amor innotescit: etenim ipse antea illam baptismum vocaverat (*Luc.* 12) : *Baptismo habeo baptizari;* alias calicem (*Marc.* 26): *Si possibile est, transeat a me calix iste;* alias traditionem (*Luc.* 18): *Tradetur gentibus;* alias exaltationem (*Ioan.* 12) : *Si exaltatus fuero a terra.* Verum excessum illam vocare ad hunc diem consulto distulit, quo gloriam suam in vertice montis Thabor manifestavit, quia in hoc maxime suum excessivum ostentat amorem , qui cum Dominus gloriae esset , et omnibus coelestibus divitiis afflueret, pro nobis tamen turpissimam crucis mortem subire non dubitaret. Sed, proh dolor, si nostros miseri excessus contemplemur, quam dispares ac longe diversos a Christi excessibus esse comperiemus? illius amoris sunt, nostri ingratitudinis; illius bonitatis, nostri malitiae; illius patientiae, nostri impatientiae; illius humilitatis, et mansuetudinis, nostri superbiae, et elationis. Vult quidem illustris , et dives femina, tamquam ante statuam Nabuchodonosor, famulum eam alloquentem in genua procumbere: nonne hic vanitatis excessus est? Illa etiam, quae statura pusilla est, crepida unius cubiti utens, cubito altior fit , ut corporis elegantiam simulet: nonne profanitatis hic excessus esse perhibetur? Quod si , qui aureos quingentos in singulos annos habet , mille et amplius expendit , et uxoris dotem ludo , et comessationibus dissipat , quis id excessum esse diffitebitur? Coniugatorum demum excessus non est, ut quod Deus ad sobolis procreationem ordinavit, *honorabile connubium* , dicit d. Paulus, *torus immaculatus* , ipsi ad lasciviam, et venerem convertant , et veluti equi aquam bibituri prius illam turbent, et coeno plenam ebibant? Consideremus igitur, fratres, excessus nostros, ut eos ploremus, et emendemus; Christi autem excessus, ut admiremur , veneremur, imitemur, et in amorem eius rapiamur; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA XI.

Insignis paraphrasis eiusdem Evangelii proponitur , in qua praesertim variae causae transfigurationis deteguntur , multiplexque Christi transfiguratio, et eius utilitas commonstratur, etc.

Non potest singulari mysterio vacare, quod sapientissima Dei providentia id ordinante, factum sit, ut excellentiora, ac portentosa magis Dei opera in excelso aliquo monte patrata fuerint. Super montem Armeniae post inundantes diluvii aquas Noe arca firmata fuit. Abraham in montem ascendit, ut in eo insigne illud obedientiae opus , proprium filium immolandi, perficeret. Sanctus Loth in montem scandere, ut a Sodomae incendio liberaretur, angelico eloquio admonitus fuit. In monte Oreb primitus Deus optimus maximus apparuit Moysi, magna ei revelans arcana. In monte Syna lex scripta ab ipso Deo tradita fuit Hebraeis. In monte Hor celebris ille vir Eleazarus in summum sacerdotem creatus fuit. In monte Nebo Moyses vitam exhalavit. Samson portas Urbis Gaze in cacumen montis asportavit. Elias in monte Carmelo angelicam vitam egit. Quid plura? Christus Dominus in monte, quo tentatus fuit a diabolo, ignominiosam fugam illum arripere compulit. In monte, teste d. Luca, discipulos elegit, et ad Apostolatus culmen evexit. In montem ad orandum frequenter adibat, adeo, ut non semel in eo vigilans, in oratione pernoctaret. In montem secessit post factum prodigiosum illud miraculum quinque panum , et duorum piscium , quibus ingentem hominum catervam